



## **Clypeus Theologiæ Thomisticæ**

In Tres Partes Divisus, Et Quinque Voluminibus Comprehensus

Tractatus de Beatitudine, de Actibus humanis, eorumque Moralitate, de  
Virtutibus ac Donis, de Vitiis ac Peccatis, & de Legibus, nec-non  
Dissertationem Theologicam de Probabilitate

**Gonet, Jean-Baptiste**

**Coloniæ Agrippinæ, 1671**

Art. II. De donis Spiritus Sancti in particulari

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-78232](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-78232)

se esse sine charitate: quia sicut virtutes morales reddunt vires appetitivas mobiles à ratione, ita dona reddunt vires animarum mobiles à Spiritu sancto: sicut autem ratio perficitur per prudentiam, ita Spiritus sanctus habitat in nobis per charitatem: Ergo sicut virtutes morales conne-ctuntur cum prudentia, ita dona cum charitate. Ex quo

16. Inferes quartò, quòd sicut una virtus sine alijs non est perfecta, ita nec unum donum sine alio perfectum esse potest. Undè Gregorius 1. moral. cap. 15. *Sicut unaquaque virtus sine alia valde destruitur; ita unumquodque donum sine alio imperfectum erit. Minor est sapientia, que intellectu caret: sapientia enim, qua est sine intellectu, est hebes. Inutilis est intellectus, si ex sapientia non subsistat: quia cum altiora sine sapientia penetrat, sua illum levitas gravius ruiturum levat. Vile est consilium sine fortitudine: quia quòd tractando invenit, sine viribus ad actum non perducit. Fortitudo etiam, qua plus potest, sine moderamine rationis in præceptis ruit. Nulla est scientia sine pietate: quia qui bona cognita non exequitur, graviter judicatur. Pietas sine scientia discretione quomodo misereatur ignorat. Timor sine his nihil valet, quia ad omnia trepidans, à bonis operibus torquet.*

17. Inferes quintò, quòd dona Spiritus sancti quoad ipsorum materiam, circaquam nunc versantur, ipsa scilicet opera vitæ activæ, non remanebunt in patria, nam opera illa non habent locum in statu gloriæ remanebunt tamen, & quidem perfectissimè, quantum ad essentiam donorum; quia tunc homo totaliter Deo subditus, Spiritus sancti motionem perfectissimè sequetur. Habebunt etiam omnia dona actus suos in patria circa ea, quæ pertinent ad vitam contemplativam, quæ est vita beata. Undè Ambrosius lib. 1. de Spiritu sancto cap. 20. *Civitas Dei illa Hierusalem celestis, non meatu alicujus fluvii terrestri alluitur; sed ex vitæ fonte procedens Spiritus sanctus, cujus nos brevi satiamur haustu, in illis celestibus spiritibus redundantius videtur affluere, pleno septem virtutum spiritalium fervens meatu.*

18. Inferes sextò, dona Spiritus sancti esse quidem inferiora virtutibus Theologicis, sed superiora virtutibus moralibus, sive infusis, sive acquisitis.

Prima pars hujus corollarij patet: Nam virtutes Theologicae conjungunt nos ultimo fini, dona verò deserviunt ad movendum nos ad ultimum finem, juxta illud Psalmi 142. *Spiritus tuus bonus deducet me in viam rectam.* Ergo virtutes Theologicae omnibus donis præferendæ sunt.

19. Secunda etiam pars non est minus evidens: Homo enim per virtutes morales acquiritur disponitur, ut facile & connaturaliter moveatur à ratione; per infusas, ut moveatur à lumine fidei & gratiæ; per dona verò disponitur ut connaturaliter moveatur à Spiritu sancto: *Manifestum est autem* (inquit S. Doctor hic art. 8.) *quod ad altiore motorem oportet majori perfectione mobile esse dispositum:* Ergo dona perfectiora sunt virtutibus moralibus, sive infusis, sive acquisitis.

20. Confirmatur: Virtutes morales acquisitæ respiciunt suum objectum ut dirigibile per regulas prudentiæ acquisitæ; infusæ illud attingunt ut dirigibile per regulas prudentiæ infusæ, modo communi & ordinario; dona verò illud respiciunt ut dirigibile modo altiori, nempe per

Tom. III.

A quandam specialem motionem, & instinctum Spiritus sancti: Ergo illa superiora & perfectiora sunt virtutibus moralibus, sive infusis, sive acquisitis.

## ARTICULUS II.

## De donis Spiritus sancti in particulari.

SEPTEM dari Spiritus sancti dona, communi est Patrum & Theologorum consensus: & colligitur ex Scriptura Isaia 11. ubi septem recensentur his verbis: *Egredietur virga de radice Jesse, & flos de radice ejus ascendet, & requiescet super eum Spiritus Domini: Spiritus sapientiae & intellectus, Spiritus consilij & fortitudinis, Spiritus scientiæ & pietatis, & replebit eum Spiritus timoris Domini.*

Ratio verò assignatur à D. Thoma hic art. 4. 25. Quot enim sunt operationes potentiarum, quæ sunt principia humanorum actuum, tot sunt dona Spiritus sancti: Sed septem sunt operationes potentiarum, quæ sunt principia humanorum actuum: Ergo septem sunt dona Spiritus sancti. Major probatur: quia dona Spiritus sancti sunt quidam habitus perficientes hominem ad hoc ut promptè sequatur instinctum ipsius Spiritus sancti; sicut virtutes morales perficiunt vires appetitivas ad hoc ut obediant rationi: unde sicut morales virtutes sunt secundum numerum operationum, in quibus virtutes appetitivæ moventur à ratione; ita dona tot sunt, quot operationes potentiarum, quæ sunt aptæ moveri à Deo. Minor etiam suadetur: Nam vis, quæ est principium humanorum actuum, duplex est, scilicet ratio, & appetitus; ratio etiam duplex est, nimirum speculativa & practica; & sic est triplex principium humanorum actuum, nempe ratio speculativa, ratio practica, & appetitus; operatio verò intellectus, cum speculativi, cum practici, duplex est, scilicet apprehensio veritatis, & judicium de veritate: similiter appetitus duplicem habet operationem, unam per quam se habet ad ea, quæ sunt ad alterum, aliam vero per quam se habet ad ea, quæ sunt ad se; & hæc sunt duo, scilicet pericula & delictabilia: unde septem sunt operationes harum potentiarum. In primis intellectus speculativus apprehendit veritatem; & hæc operatio perficitur per donum intellectus: secundò judicat de veritate apprehensa; & hæc perficitur per donum sapientiæ. Similiter intellectus practicus primò apprehendit veritatem, & hæc apprehensio fit per donum scientiæ; secundò judicat de veritate apprehensa; & hæc perficitur per donum consilij. Appetitus verò in his, quæ sunt ad alterum, perficitur per donum pietatis; in his autem, quæ sunt ad se, primò in timore periculorum perficitur per donum fortitudinis; secundò in concupiscentia delectabilium perficitur per donum timoris, secundum illud Proverb. 6. *In timore Domini declinat omnis à malo:* & illud Psal. 118. *Confige timore tuo carnes meas, à judicij enim tui timui.* Quasi diceret (inquit Glossa) da mihi castum timorem, scilicet filialem, quo omnia carnalia desideria configantur. Ergo septem sunt dona Spiritus sancti, nempe donum intellectus, donum sapientiæ, donum scientiæ,

Y y

tia.

tia, donum consilij, donum pietatis, donum fortitudinis, & donum timoris. Quæ figurantur per septem oculos super lapidem unum, de quibus sit mentio Zachariae 3. per septem lucernas, de quibus dicitur Exodi 25. *Luces lucernas septem, & ponas eas super candelabrum*; per septem stellas in dextra Christi, quas vidit Joannes Apocal. 1. per septem lampades ardentes ante thronum, de quibus Apocal. 4. & denique per septem crines, in quibus fortitudo Samsonis posita erat, ut habetur Judicium 16.

26. Hæc septem dona sunt contra septem mala, quæ enumerat Gregorius Magnus super illud Job 1. *Ventus vehemens irruit à regione deserti* & c. his verbis: *Spiritus, qui mentem ante omnia prudentiâ, temperantiâ, fortitudinē, scientiâ format, eandem contra singula continentia septem virtutibus instruit. Contra stultitiâ sapientiâ; contra hebetudinem intellectu; contra precipitationem consilio; contra timorem fortitudinē; contra ignorantiam scientiâ; contra duritiâ pietate; contra superbiâ timore.*

27. Donum intellectus ita nuncupatur, quia correspondet habitui principiorum, & habet proportionem cum ipso; proprium enim officium illius est acuere intellectum ad penetrandas res fidei, necdum simplici apprehensione, sed etiam quodam judicio discretivo, & sine admixtione errorum: in quo differt à donis sapientiæ, & scientiæ, quæ habent judicare de rebus supernaturalibus modo quodam resolutivo per suas causas vel effectus; sapientiâ quidem per causas supremas, nempe per intimam unionem ad Deum; scientiâ verò per causas inferiores: in quo etiam differunt à fide, quæ fertur in res divinas & supernaturales sub præcisâ ratione formali divini revelationis. Sed ut claris adhuc horum donorum, tum inter se, tum à fide distinctio percipiatur:

28. Supponenda est doctrina, quam tradit S. Thomas 2. 2. quæst. 45. art. 2. ubi docet, dupliciter aliquem posse habere cognitionem, & iudicium ferre de aliqua re; uno modo per inquisitionem seu studium; alio modo per experientiam; & quasi connaturalitatem ad rem illam: sicut de castitate aliter iudicat Philosophus ex disciplina Ethica, & disputatione de virtutibus; aliter temperans & castus ex connaturalitate ad ipsam continentiam & castitatem; unde de supernaturalibus & divinis possumus habere cognitionem & iudicium, vel ex studio & disputatione circa res illas, sive ex præcisâ illustratione veritatis; vel ex quadam connaturalitate & affectu, ac veluti gustu & experientia divinorum. Donum verò intellectus non acuit, nec perficit mentem ad penetrandas veritates divinas & supernaturales, quasi ex studio & disputatione, & quasi metaphysicè, sed ex connaturalitate quadam & unionem ad divina, & mysticè, seu per quandam experientiam, & gustum divinorum, ex speciali unionem cum Deo perceptum. Similiter sapientiâ iudicat de supernaturalibus per causas altissimas, ut cognitas huiusmodi experientiâ & gustu divinorum; & scientiâ per causas inferiores & humanas, ut eadem etiam ratione manifestatas. Ex quibus clarè constat horum donorum distinctio, tum inter se, tum à fide, quæ non fertur in res divinas, ut cognitas huiusmodi experientiâ & gustu divinorum, sed lumine revelationis obscuræ. A dono autem confi-

lij differt, quia istud hominem ad ea, quæ agenda sunt, dirigit, non ex rationibus humanis sed divinis, non præcisè ut cognitis à fide, vel prophetia, quæ possunt esse in peccatore, sed ex affectu & experientia intima divinorum, ex qua homo iustus docetur & inspiratur à Deo de necessariis ad salutem, etiam cum discitur, & interdum collatione aliorum; hoc enim totum inspiratur à Deo: unde proprium officium huius doni est præcipere agenda necessaria ad salutem ex vi affectus experimentalis, & quasi gustus divinorum, ac proinde præter regulas communes.

De hoc dono eleganter differt Gregorius 29. Magnus 1. Moral. cap. 11. ubi hæc scribit: *Vnusquisque electorum adhuc in mundo positus, mente tamen extra Deum surgit, & ærumnam exiit, quam tolerat, deplorat, & ad sublimem patriam inaccessibilibus se amoris stimulis excitat: unde invenit salutem consilium, temporale hoc despicere quod percurrit, & quod magis crescit consilij scientia, ut periturâ deserat, eò augetur dolor, quod necdum ad mansura sive æterna contingat. Et ideo solerti consilio in seipsum considerat. Et ne ex re, quæ agitur, repentinus finis adversus surrepiat, hunc prius mollior posito pede cogitationis palpat, & pensat, ne in his, quæ agenda sunt, precipitatio impellat; ne pro va per concupiscentiam apertò bello superent; ne recta per inanem gloriam insidiando supplantent. Et mens electi casualiter, quod magis per consilium vivere incipit, ex angusti numeris dolore fatigatur.*

Quoad dona, quæ pertinent ad appetitum, 30. donum pietatis exhibet Deo cultum per inclinatum Spiritus sancti in casibus extraordinariis, in quibus talis cultus à prudentia acquiritur, vel insula regulari nequit; ut si quis ex speciali instinctu in oratione permaneat, eamque continuerit usque ad mortem, hoc enim non dicitur prudentia; vel si Deum ore, ut pro defensione & conservatione Reipublicæ miracula faciat, illa oratio non erit actus religionis, sed doni pietatis.

Differt etiam donum pietatis à religione in 31. eo, quod religio respicit cultum Deo exhibendum, ut primo rerum omnium principio, & supremo Domino, danti esse & conservanti omnibus rebus creatis: at verò donum pietatis inclinatur ad exhibendum cultum Deo secundum præcisè quod in se magis est, sive bona, sive mala nobis faciat, & cum quadam quasi nuditate & annihilatione omnium, ad ipsum solum attendendo; & ad infinitam ejus magnitudinem, juxta illud Propheta Psal. 33. *Magnificante Dominum mecum, & exaltante nos in eis in idipsum*: hoc est, non propter ea, quæ nobis tribuit, nec juxta mensuram beneficiorum, quæ ab eo recepimus, ipsum colamus, sed propter ipsum, & infinitam ejus magnitudinem. Unde D. Thomas in 3. dist. 3. qu. 3. art. 2. quæstione. 1. ad 1. in hoc distinguit pietatis donum à pietate virtute, quæ reddit cultum Deo, & est ipsa religio, quod pietas, ut est virtus, accipit aliquid humanum pro mensura, scilicet beneficium à Deo acceptum, ratione cuius est debitor ei; sed pietas, quæ est donum, accipit in hoc aliquid divinum pro mensura, ut scilicet Deo honorem impendat, non quia sit ei debitor, sed quia Deus honore dignus est, per quem modum etiam ipse Deus sibi honoris est.

Diversa illa motiva colendi Deum aperte in 32. Scriptura declarantur: Nam Apocal. 4. dicitur:

Dignus es Domine Deus nos accipere gloriam, & honorem, & virtutem, quia tu creasti omnia: Ecce motiui religionis honorantis Deum, quia creavit nos, & est author naturæ. Et rursus cap. 15. Dignus es Domine accipere librum, & aperire signacula ejus, quoniam occisus es, & redemisti nos Deo in sanguine tuo, & fecisti nos Deo nostro regnum, & sacerdotes. Ubi etiam virtus religionis ad Deum laudandum, & colendum incitatur ex beneficio supernaturali redemptionis, & quia nos facti sumus regnum Dei per gratiam. At vero donum pietatis relictis his omnibus motiuis beneficiorum Dei, gratias agit Deo, & colit ipsum, quia in se magnus & pius est, ut cum ibidem cap. 11. dicitur: Gratias agimus tibi Domine Deus omnipotens, qui es, & qui eras, & qui venturus es, quia accepisti virtutem tuam magnam, & regnasti. Et iterum cap. 15. Quis non timebit te Domine, & magnificabit nomen tuum, quis solus pius est? Et Ecclesia canit in hymno Angelico: Gratias agimus tibi propter magnam gloriam tuam. Ubi cultus & gratiarum actio non redditur Deo, propter hæc aut illa beneficia nobis collata, sed quia in se pius est, & propter gloriam suam, quam habet, & quia accepit virtutem & magnitudinem, & regnavit.

Donum fortitudinis firmat animum contra pericula, præcipue mortis, & inclinat ad ea subeunda præter regulas prudentiæ, & modo quodam superhumano: modus enim agendi hominis per virtutem infusam elevati est cum quadam adhuc infirmitate & trepidatione subire terribilia, & secundum dictamen prudentiæ, vel naturalis, vel infusæ: at vero donum fortitudinis firmat omnino hominem, & ab eo omnem infirmitatem & trepidationem depellit, & supra regulas communes prudentiæ ad subeunda terribilia inclinat. Hoc dono roboratus Apostolus exclamabat: Omnia possum in eo, qui me confortat. Et Propheta Regius Psalmo 17. dicebat: In Deo meo transgrediar murum: id est (ut interpretatur Divus Thomas in 3. dist. 34. quæst. 1. art. 1. quæstionum 1.) Omne quod potest infirmitati humana obviare, hoc enim nomine muri intelligitur. Eodem dono confortatus Jonathas cum solo armigero aggressus est totum exercitum hostium: & Samson ita rupit vincula, quibus ligatus erat, sicut tela araneorum. Unde de illo Judicum 3. dicitur: Irruit super eum Spiritus Domini, & sicut solent ad odorem ignis ligna consumi, ita vincula, quibus ligatus erat, dissipata sunt & soluta. Denique ipse Christus, qui imminente passione sua ad ostensionem infirmitatis naturæ, quam susceperat, trepidavit, & timuit in horto Olivarum, statim rediit ex dono fortitudinis in suam soliditatem & securitatem, & ut loquitur Leo Papa sermone 8. de Passione: Depulsa trepidatione infirmitatis, & confirmata magnanimitate virtutis, rediit in sententiam sua dispositionis eterna.

Ultimum Spiritus sancti donum dicitur donum timoris, quod (ut docet S. Thomas 3. p. quæst. 7. art. 6.) duplicem habet actum: alterum primarium, qui est subjectio reverentialis ad Deum ob divinam eminentiam, non inspectam absolute (nam revereri Deum absolute consideratum, ad humilitatem, vel ad pietatem pertinet) sed ut potentem infligere malum, saltem ipsum non esse, reducendo nempe ad nihilum: alterum secundarium, qui est refugere malum culpæ possibile, aut pœnæ propter culpam.

Tom. 111.

Primus actus fuit in Christo, & remanet in Beatis. Unde dicitur Job 26. Columnæ cæli parent, & contremiscunt ad nutum ejus: ubi per columnas cæli intelliguntur Angeli beati, ut explicat Gregorius Magnus 17. moral. cap. 1. his verbis: Columnæ cæli contremiscunt ad nutum ejus: ipsæ enim Virtutes cælestium, quæ Deum sine cessatione conspiciunt, in ipsa contemplatione contremiscunt. Sed idem tremor, ne eis pœnalis sit, non timoris est, sed admirationis, quia scilicet admirantur Deum ut supra se existentem, & in eis incomprehensibilem. An vero actus secundarius hujus doni in Christo, & in Beatis reperiri possit, dicemus in tractatu de Incarnatione, ubi etiam factus de illo differemus.

Diff. 23  
cap. 1.

Quæstione 69. agit S. Thomas de quibusdam actibus donorum, quibus ex instinctu, & motione speciali Spiritus sancti ad vitam æternam accedimus, juxta illud Psal. 142. Spiritus tuus bonus deducet me in viam rectam: unde illæ donorum operationes simpliciter Beatitudines appellantur, vel quia ad beatitudinem faciunt pervenire, vel quia sunt veluti quædam participationes, & inchoationes futuræ beatitudinis. Illæ verò octo enumerantur Matth. 5. ex quibus quatuor pertinent ad exclusionem & remotionem falsæ beatitudinis, nempe paupertas Spiritus, quæ amorem inordinatum divitiarum removel; mansuetudo, quæ inordinatas passionis irascibilis excludit; iustus & fletus, qui removel inordinatas passionis delectationis & gaudij; & patientia in persecutionibus, quæ removel favorem & applausum humanum, ut ait Divus Thomas quæst. citatâ art. 3. ad 6. Aliæ verò quatuor pertinent ad dispositionem & tendentiam ad veram & æternam beatitudinem: nam ad eam disponimur & tendimus per ardens illius desiderium, quod fames & sitis iustitiæ appellatur; per opera misericordiæ, quæ erga proximum exercemus; per cordis mundiciam, quæ ad contemplationem & claram Dei visionem disponit, unde ab Augustino Deus purificata mentis intelligentia appellatur; & demum per pacem & concordiam cum proximo, quæ est perfectissimum iustitiæ & charitatis opus.

Quæres primo, quomodo si sunt tantum septem dona, ponuntur octo beatitudines, quæ ut diximus, sunt aliquæ donorum operationes?

Respondeo cum S. Thoma quæst. citatâ art. 3. ad 5. octavam beatitudinem pertinere ad septem præcedentes, quasi confirmationem & manifestationem earum; continet enim quandam firmitatem animi, ne propter humanas persecutiones recedat ab his, quæ per alias septem beatitudines & septem dona fiunt, unde illa per omnia dona versatur.

Quæres secundo, quare Lucas enumerat solum quatuor beatitudines, Matthæus verò octo?

Respondeo cum eodem S. Doctore in resp. ad 6. Lucam solum enumerasse illas beatitudines, quas Christus recensuit in sermone, quem habuit ad turbas, descendendo de monte, ut expressè habetur Lucæ 6. Christus verò in eo sermone idem solum quatuor beatitudines enumeravit, quia cum turbis loqueretur, noluit nisi illa tantum eis proponere, quæ removel falsam beatitudinem, quam plures, præsertim è vulgo, ponunt in bonis hujus sæculi; & sic solum

Yy 2

lùm

num numeravit paupertatem spiritus. removen-  
tem amorem inordinatum divitiarum; esuriam  
seu laborem; carnis delicias excludentem; fle-  
rum oppositum vanæ & mundanæ lætitiæ; & o-  
dium seu persecutionem hominum, oppositam  
favori & applausui. Matthæus verò recensuit il-  
las beatitudines quas Christus numeravit in ser-  
mone habito ad Discipulos, in quo alias quatuor  
beatitudines, quæ pertinent ad dispositio-  
nem, & tendentiam ad veram & æternam bea-  
titudinem, addidit; quia omni Discipuli essent  
perfectiores, melius erant dispositi ad illas bea-  
titudines percipiendas & exercendas, quam  
38. turba.

Quæstione 70. S. Thomas differit de quibus-  
dam perfectionibus procedentibus ex motione  
Spiritus sancti, quibus mens humana bene dispo-  
nitur; quæ fructus Spiritus sancti appellari so-  
lent: *Fructus enim* (ut ait idem S. Doctor super  
cap. 5. epistolæ ad Galatas lect. 6.) *duo importat, scilicet*  
*quod sit ultimum producentis, sicut ultimum quod*  
*producitur ab arbore est fructus eius, & quod sit suave,*  
*sive delectabile; Cantic. 2. fructus eius dulcis gutturi*  
*meo. Sic ergo opera virtutum & Spiritus sunt quid ul-*  
*timum in nobis: nam Spiritus Sanctus est in nobis per*  
*gratiam per quam acquirimus habitum virtutum, &*  
*ex hoc potentes sumus operari secundum virtutem.*  
*Sunt etiam delectabilia, & fructuosa, Roman. 6. ha-*  
*betis fructum vestrum in sanctificatione, id est in ope-*  
*ribus sanctificationis, & idem dicuntur fructus. Dicuntur*  
*etiam flores respectu beatitudinis, quia sicut ex floribus*  
*accipitur spes fructus, ita ex operibus virtutum habe-*  
*tur spes vite æternæ, & beatitudinis. Et sicut in flore*  
*est quedam inchoatio fructus, ita in operibus virtutum*  
*est quedam inchoatio beatitudinis, quæ tunc erit quan-*  
do cognitio & charitas perficiuntur. Hæc S. Thomas.

39. Porro fructus illi duodecim enumerantur ab  
Apostolo ad Galat. 5. his verbis: *Fructus autem*  
*spiritus est charitas, gaudium, pax, patientia, beni-*  
*gnitas, bonitas, longanimitas, mansuetudo, modestia,*  
*continentia, castitas: quæ ut ait S. Thomas quæ-  
citata art. 3. significantur per duodecim fructus,*  
de quibus dicitur Apocal. ultimo: *Ex utraque*  
parte fluminis lignum vite afferens fructus duodecim.

40. Egregiam etiam ibidem divisionis hujus affi-  
gnat rationem, seu congruentiam, quæ sic bre-  
viter potest proponi. Fructus sunt perfectiones,  
quibus mens humana bene disponitur, proce-

A dentes ex motione Spiritus sancti: Sed perfe-  
ctiones illæ sunt duodecim. Ergo & Spiritus san-  
cti fructus. Major patet. Minor probatur. Perfe-  
ctio mentis humanæ consistit in tribus; primò ut  
sit perfecte disposita secundum seipsam; secundò  
ut sit bene ordinata ad ea quæ sunt iuxta se-  
ipsam; tertiò ut sit bene ordinata ad ea quæ sunt  
infra seipsam. Secundum seipsam est bene ordi-  
nata mens humana, quando bene se habet in bo-  
nis & in malis: in bonis autem bene se habet  
mens humana per amorem, qui est prima affe-  
ctio, & omnium affectionum radix; & idem pri-  
mus fructus Spiritus sancti ponitur charitas: ad  
B amorem necessariò sequitur gaudium, quod est  
secundus fructus: ad gaudium pax, per quam  
conservatur gaudium, tum à conturbantibus  
exterioribus, tum ab interioribus, quatenus  
quietat desiderium in bono amato; & hic est ter-  
tius fructus: in malis verò bene se habet mens  
quantum ad duo; primò ut non perturbetur per  
imminentiam malorum; secundò ut non turbe-  
tur per dilationem bonorum: primum fit per  
patientiam, quæ est quartus fructus; secundum  
C per longanimitatem, quæ quintum locum obte-  
net.

Ad id verò quod est iuxta hominem, scilicet  
proximum, bene se habet mens humana quan-  
tum ad quatuor. Primò quantum ad voluntatem  
bene faciendi; & ad hoc ponitur bonitas, quæ  
est sextus fructus. Secundò quantum ad benefi-  
centiæ executionem, & ad hoc ponitur benigni-  
tas, quæ est septimus. Tertiò quantum ad hoc  
ut æquanimiter tolerentur mala ab aliis illata;  
& ad hoc ponitur mansuetudo, quæ cohibet  
iras, & est octavus Spiritus sancti fructus. Quar-  
tò quantum ad hos ut non noceamus proximis  
per fraudem, sive dolum; & ad hoc pertinet fi-  
des, seu fidelitas, & est nonus fructus.

Circa verò ea quæ sunt infra mentem, quæ  
sunt actiones exteriores, & interiores passionis  
sensus, bene se habet mens humana, primò quan-  
tum ad actiones exteriores, per hoc quod in  
omnibus dictis & factis modum observet; & hoc  
pertinet ad modestiam, quæ est decimus fructus;  
secundò quantum ad interiores concupiscentias  
bene se habet, refrændo illicitas per continen-  
tiam, & licitas per continentiam, & hæc sunt  
duo ultimi Spiritus sancti fructus.

